Dissertatio casualem, de carum apoplexia terminatum ... / [Heinrich Martini].

Contributors

Martini, Heinrich, active 1672.
Glaser, Hans Heinrich, 1629-1675.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, [1672]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rb6kvw5c

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

21

Feliciſsimis
DIVINI NUMINIS AUSPICIIS
Hanc
DISSERTATIONEM CASUALEM,

CARUM APOPLEXIA TERMINATUM,

AUTHORITATE & CONSENSU
MAGNIFICI & AMPLISSIMI
Medicorum Ordinis.
Moderatore
Viro Nobiliſsimo, Excellentiſsimo, Experientiſsimo
D. JOH. HENRICO GLASERO,
Phil. & Medic. Doct. Botan. & Anatom. Profeſſ.
Celeberrimo; p.t. Rectore Magnifico;
Præceptore honoratiſſimo.
Myſtis Apollineis ventilandam offert,
HENRICUS MARTINIUS, Fil.
Dantiſc. A. & R.
In Æſtivo Medicorum Acroaterio.
Anno Salutis M. DC. LXXII. die 19 Aprilis.
Horis conſuetis.

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHI.

Alla

SERENISSIMA PRENCIPESSA

Sig.ra

LOUYSA

Duchessa di Silesia, Lignitz, Brega e Wolau, Prencipessa di Anhalt, Contessa d'Ascania Signora di Servesta e Berenburg, &c. Prencipessa e Signora Clementissima:

SERENISSIMA PRENCIPESSA.

QUeste puoche carte, benche per loro viltà non siano degne dell' risguardo di VOSTRA ALTEZZA; essendo però le primitie dell mio studio; non possono ne devono consecrarsi ad altro Nume, che à quello di VOSTRA ALTEZZA; sotto la di cui protettione si gloriano d'esser prodotte. Mi confido dunque, che per singolar su Clemenza, (sinche ne segua à suo tempo qualche cosa di meglio) per segno di devotione, benignamente le accetterà: degnandomi anco nell' avenire dell' inestimabil' favore & honore, di chiamarmi sempre di

VOSTRA ALTEZZA

SERENISSIMA PRENCIPESSA,

Devotiss.mo & humill.mo Cliente

HENRICO MARTINIO, F

CASUS.

Ir XLVIII. Annos natus, faciei colore ex albo rubescente, capillis obscurè flavescentibus, modicè crispis, utcunq; Σουρκῷ, venis satis amplis. Cæterùm animo humilis, propositi tenax, vitam sedentariam agens, & in rationibus subducendis perpetuò occupatus, nonnunquam vini plusquam satur; cum venasectionem consuetam distulisset, tempestate jam inde à medio Augusto frigidâ & humidâ existente, sub finem Se-
tembris semel atq; iterum levem hæmorrhogiam narium passus est, ver-
igine subinde obrepente, cum dolore capitis obtuso. His symptomatis per
ctiduum circiter vexatus, cùm manè deambularet, corpus ejus ad sinistrum
atus incurvari visum est, vesperi verò ejusdem diei à consuetis laboribus do-
num redux subito cecidit sensu & motu privatus. Concussus tamen ab adstã-
ibus, quanquam somno sepultus erat, oculos ægrè aperuit, linguâ titubante,
& voce vix intelligibili animi sensa exprimens. Pulsus tunc erat magnitudine
& vehementiâ naturalis, sed latus sinistrum non movebat, dextum ægrè; os
n dextram partem intorquebatur. Varia præsidia, statim primo morbi in-
ultu, juxta artem in usum vocata fuêre, sed in cassum. Postridie vesperi
unctus oculos quidem parum aperiebat, sed nihil loquebatur: inde pulsu
ensim minore & debiliore facto, & stertore inter respirandum oborto, die
ertio manè obijt.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα κἂν ἦ χείρω τῶν ἀσυνήθων, ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. *Quæ longo tempore assueta sunt, etiamsi deteriora sint, in-*
uetis minùs molesta esse solent: Verba sunt Hippocratis Aph.50.
ect.2. Si itaque consuetudo etiam in malis intermissa tantum
ocet, multo magis in præsidiorum salubrium intermissione. Ex-

perientia ipsa quotidiana loquitur: Quotusquisque enim, ex humorum qualitate peccantium consuetâ ejectione intermissâ, morborum non incurrit myriades? Hunc, humore tartareo, & fœculento è corpore, debito & consueto tempore, non euacuato, truculenta vexat hypochondriaca affectio; Illum quartana febris, Medicorum vulgò dictum opprobrium, eodem humore putredine suâ calorem præternaturalem acquirente. Sic phlegmatis, in glandulis mensenterij restagnantis, & chyli per eas percolationem impedientis, putrefactionem lentæ febri, imò ipsi hecticæ originem præbere, certum est. Bile pariter exsuperante, in corporis habitum effusâ, fœdus totius corporis subsequitur color: quibus malis, dictorum humorum peccantium, morbum tamen nondum reapse producentium, factâ debito modo ac tempore evacuatione, facilè mederi potuissemus; cùm contrà malo jam confirmato, vehementiori scil. in humoribus concitato, viscerumque substantiæ jam imbuto morbifico fermento, methodica & longior requiratur cura; aliâs, si in principio occurrisses, vel unicâ corporis evacuatione perficienda. Non minora & sanguis solâ quantitate peccans inducere valet symptomata: accedente enim corporis exercitio, sanguis, fervore concepto, facilè exiguis arteriolarum osculis excidere, sicque in thorace pleuritidis author esse potest; aut ebullitione suâ ad cerebrum concitatus, si in medullaris substantiæ superiore parte consistat, in mentis alienationem, si ad basin decumbat, aut extravasetur, in Apoplexiam & alia mala hominem conjicit; quæ solâ venæsectione, præsertim consuetâ, ceu proprio plethoræ indicato, administratâ, evitanda erant. Similia in ægro nostro observare licet; qui, venæsectione consuetâ intermissâ, mortem subire necessum habuit: ad cujus tractationem nos accingentes, ut faciliùs obvias declinemus syrtes, certam nobis præfigemus methodum, consistentem in diagnosi, Prognosi & Therapiâ; consideraturi primò ægri nostri statum, tum naturalem temperie conclusum, tum præter naturalem: quibus, tanquam diagnosi tam τῶν κατὰ φύσιν, quàm παρὰ φύσιν, in medium prolatis, subnectemus Prognosin; & huic feliciter superstruemus Therapiam, eliciendo Indicationes, perficiendas suis instrumentis; cùm tantum quisque rectè curet, quantum per causas cognoscit, attestante Galeno: Hæc ritè peragendo, quin totam hujus casûs resolutionem exhausturi simus, null

dubita-

dubitamus. Omissis itaque ulterioribus verborum lenociniis, primam Consultationis partem aggredior, considerans in ea primò constitutionem ægri nostri κατὰ φύσιν, temperamento conclusam.

Temperiem hujus ægri esse Sanguineo-Melancholicam, ex signorum temperamentum determinantium latiore diductione, & rationum addendarum explicatione, liquidò constabit. Etenim facies ex albo rubescens, sanguinis laudabilioris in toto corpore abundantis, suique vestigia in teneriore cutis parte, qualis in facie deprehenditur, relinquentis, certissimus index. Sexus virilis, fœminino naturæ lege calidior. Capilli obscurè flavescentes, & molicè crispi, pro calore moderato, individuo probi sanguinis comite, militant; qui, depositâ post juventutem acrimoniâ suâ, etiam in hâc, hujus viri sanguinei, inclinante ætate, plus alius temperamenti hominibus, vigorem suum retinet. εὐσαρκία qualiscunque, laudabiliorem massæ sanguineæ partem, cùm ea omnes partes carnosæ nutriantur, sui causam agnoscit. Venæ satis amplæ, exuperantis sanguinis, cùm inter partem recipientem & humorem contentum requiratur proportio, infallibilis nota est; natura enim, ut in omnibus, sic in partibus nobilissimæ creaturæ formandis, studiosa, præter necessitatem venas amplas, nisi sanguine uberiore id ita requirente, non formasset. Sanguinem vero hunc, ob humoris crassioris, siccioris, terrestrioris, & magis fixati admixtionem, paululum ad frigidum & siccum declinare, mores ægri nostri testatum faciunt; est enim animo humili, tristitiæ speciem præ se ferente, quæ sanguini crassiori, frigidiori & sicciori, ortum suum debet; sicut contrà lætitia sanguini calidiori, & rariori. Pariter solam propositi tenacitatem siccitati suam debere nativitatem, nullus nisi in Medicina hospes, facilè negauerit; cerebrum enim, ut & spiritus in eo animales, sicciore gaudentes temperamento, instar tabulæ plumbeæ, externorum objectorum impressiones ægrè quidem admittunt, sed admissas diutius retinent, sicque constanter menti offerunt, unde tales propositi sui servantes, annuente Scholâ Salernitanâ. Accedit vita sedentaria, raritatem, sanguini corporis agitatione conciliandam, impediens; & sic acquisitam, non enim congenitam puto, siccitatem fovens non modo, sed & augens. Vini insuper nonnunquam immoderatiore usu siccitatem sanguinis, ex dictis causis conflatam, auxit. Ex quibus omnibus

nibus jam patet, ægrum nostrum temperamento fuisse sanguineo ad melancholicum inclinante.

Pensitatâ hujus ægri temperie, tanquam statu secundùm naturam, nunc recto tramite ad alteram diagnoseos partem me converto, quæ nos in statûs præternaturalis naturam deducit. Cùm autem hæc consistat maximè in Partis affectæ, affectûs ipsius causarumque indagatione, ordinem rerum animam observantes in parte affecta denominandâ primò desudabimus, præmissâque breviter nonnullorum authorum sententiâ, probabiliorem subjungemus, symptomatibus, tanquam signis partem affectam specificantibus, stabiliendam & confirmandam.

Quanta hîc sit authorum dissensio, vel mediocriter in Medicorum scriptis versato constat: cùm quilibet horum symptomatum sibi peculiarem fingere conetur sedem. Hic jecur & pulmones, ille ventriculum, febricitante uterque judicio, principale horum subjectum constituunt; si enim æquiore animi lance rem perpendere velimus, quo quæso jure sensus, motus, ipsiusque rationis læsiones, tanquam Symptomata nobilissimarum functionum & regiæ arcis, solùm hepati, viliori longè à natura naturante usu destinato, accepta referemus? quomodo pulmones, qui si non pro naturæ lege, saltem cæteris partibus liberiùs, suum hîc obeunt officium, accusare licebit. Faciliores primò intuitu nos exhibere possemus ventriculum affectam sedem determinanti, si qualemcunque Symptomatum spectemus convenientiam; cùm & Syncope, ex superioris orificij ejus affectione, hominem sensu & motu privare valeat: sed exactiùs consideranti mox magna satis apparet diversitas; nam coloris faciei in pallidum mutatio, Apoplexiam, quod in hac naturalis permaneat, à syncope discernit; pulsus pariter obscurissimus, aut ferè nullus, animi deliquio tentatis, contrà apoplecticis fortior, aut naturalis, ut in ægro nostro, nî mortis hora immineat; nec in his, ut in illis, observatur mador in corpore à sudore frigido. Propiùs accessêre, qui cerebrum subjecti denominationis nomine salutarunt; sed per errorem lapsi, dum ex falso supposito, quasi in ventriculis cerebri spiritus generarentur, subjectum inhæsionis statuêre ventriculos cerebri anteriores, eos planè oppletos apoplexiæ, semirepletos epilepsiæ, subjectum esse somniantes. Sed intueamur Modernorum faces, Priscorum in aliquibus placita, illuminantes, & videbimus,

non

non minimam nos huic ſeculo debere felicitatem; cùm, quæ temporis ſenio ſitum contraxiſſe videbantur, nunc magis expolita, ſplendidiore ornatu fulgeant, ut feliciore genio de uſu partium hoc tempore diſcurrere, conceſſum ſit. Hos inter Clariſſimus Whillis accuratiorem cerebri anatomen nobis exhibet, cujus diligentior inſpectio, cuilibet ſingulorum ejus morborum partem affectam patefaciet.

Partem affectam, pro varia morbi unius in alium mutatione, aut cum alio complicatione, variam conſtituendam cenſeo. Cerebrum affectum indubitanter aſſerimus, cùm ejus functiones videamus eſſe læſas; unde de organo, functiones has edente, quoque læſo certi. Cùm autem cerebrum diverſis conſtet partibus, hincque pro diverſæ partis affectione, diverſa quoque agnoſcat ſymptomata, hoc opus hic labor erit, partem affectam certam denominare. Probabiliter ſtatuimus, cerebrum hîc affici, magis ſecundum medullarem, minus ſecundum cineritiam ſubſtantiam. Priùs morboſus ægri noſtri inſultus nobis demonſtrat, qui,

- - - - quaſi Jovis ignibus ictus
Concidit, & vitæ neſcius ipſe ſuæ:

inde, medullarem ſubſtantiam, quæ principium eſt nervorum, tum ſenſui tum motui, inſervientium, morbo tentari, firmiter concludimus. In medullari autem ſubſtantia, non ventriculos interiores, nec tertium, (qui potius cauſæ aliqualem rationem habere poſſunt, quatenus nimium oppleti, inferiores partes prenendo, anguſtiæ cerebri cauſa exiſtunt) affectos eſſe, vel inde conſtat, quod non in illis elaborentur ſpiritus animales, unde influxus in nervos impediri poſsit; ſed tantùm excrementa reciperiant, amandanda ad glandulam pituitariam, & exinde in emuntoria deponenda. Verùm medullæ cruribus, corporibusque ſtriatis, eæ deferendæ partes; cùm ſpiritus animales, in cineritia cerebri ſubſtantia, mediante inſitâ ejus temperie, ac poris ſpiritum vitalium percolationi deſtinatis, elaborati, ad illas partes deferantur; ibique imperium animæ exſpectantes, nunc in hos, nunc in illos nervos, influant. Crura partem affectam conſtituentes, quartum ventriculum, principium ſpinalis medullæ ingredientem, totaliter non excludimus, quandoquidem hôc humoribus repleto, principium nervorum, ei ſubjectum, comprimi

poteſt.

poteſt. Cineritiam cerebri ſubſtantiam, ipſosque ventriculos, aliquâ ex parte affici, vel exinde probari poteſt; quòd humores per arterias maximè in eam effundantur, quippe quæ ibi numeroſæ ſunt; inde & in ventriculos ipſos deriventur. Quin & vertigo, huic viro obrepens, cùm amplum ſpatium requirat, in quo ſpiritus circumgyrari poſsint, non ſolùm medullarem ſubſtantiam, ſed & reliquas ejus partes, morbo tentari, oſtendit; præterea dolor capitis obtuſus, ægrum per aliquot dies, antequam, humore ad inferiora procumbente, ſenſu & motu privaretur, excrucians, humoris in cineritia ſubſtantia ſtagnantis index erat.

Per ſympathiam totum corpus, quod inſtar trunci jacet, laborare videmus; ſpiritibus, motum ei & ſenſum miniſtrantibus, in influxu prohibitis; unde, his deficientibus, actiones corporis perire neceſſe eſt. Siniſtram autem partem magis obſideri teſtatur ejus lateris, etiam ante hujus morbi inſultum, aliqualis reſolutio; humore adhuc in cineritia ſubſtantiâ exiſtente, & ſenſim, ad inferiora inclinando, principia nervorum ſiniſtræ partis, ſeu obſtruente, ſeu comprimente; nunc, majore affluxu facto, utrasque partes, ſed inæqualiter, obſidente; cùm, ob reſolutionem prægreſſam, ſiniſtrum planè non moveat, dextrum latus ægrè; indicio aliqualem in ea parte adhuc ſpiritibus concedi influxum; unde muſculis ex parte ſanis ad ſua principia trahentibus, os in dextram partem intorqueri viſum eſt.

His partibus obſeſſis, ortus eſt morbus organicus, Anguſtia nomine veniens; quæ, prout major aut minor fuerit, ſoporoſorum affectuum varios gradus parere apta eſt. Quod ægro noſtro accidit, in quo primum minor anguſtia Carum, major hinc ſucceden Apoplexiam, peperit: cujus talem hic exhibemus deſcriptionem; quod nimirum ſit *ſubita, ſenſus & motus, exceptâ reſpiratione, ſed non totalis, privatio; orta ab humore & vapore craſſo, cerebrum quocunq; modo anguſtante.* Anguſtiam cerebri pronuncio cùm hæc ſola horum ſymptomatum mater exiſtat: non autem totalem, aliâs ſubito fatis ceſſiſſet; ſed partialem, eamque tan nervos motorios, quàm ſenſorios leviter occupantem; concuſſu enim ab adſtantibus, oculos ægrè aperuit, linguâ titubante, & voce vix intelligibili, animi ſenſa exprimens; unde firmiter concluſum, humorem, ſuperiori cerebri contignationi maximam partem

inclu

inclusum adhuc, ab initio non totaliter opprimere nervos, sensui & motui destinatos: sed humore hoc magis magisque substantiam medullarem appropinquante, & nervos obstruente, loquela ablata; pulsus sensim minor & debilior factus; tum ob humores, ex cerebro in asp. ram arteriam delapsos, tum ob fuligines, cor suffocantes; spiritibus, in musculos respirationi dicatos, non influentibus: unde, virtute vitali, se ab onere levare tentante, sed debili & succumbente; stertor, qui ultimus apoplexiæ gradus est, inter respirandum obortus.

Ultima jam Diagnoseos pars, causarum videl. enarratio, restare videtur; quarum accurata enucleatio, totam morbosi statûs naturam, nobis apertè repræsentabit. Toties jam nominatam angustiam, spiritibus influxûs viam intercludentem, immediatam hujus symptomatis exstitisse causam, nullus ambigo: quali autem nodo facta; an per obstructionem, compressionem, coalesc. subsid. &c. in controversia est. Censemus hîc factam fuisse, & per compressionem, & per obstructionem. Compressionem quidem exinde colligo, quia subitò cecidit, sensu & motu privatus; quod obstructioni adscribi non potest, cùm hæc fiat ab humore, in angustos nervorum poros, sensim se insinuante: eam tamen postea quoque accidere potuisse, testatur morbi in tertium diem protractio: id ipsum confirmant præsidia in usum vocata, compressionem quidem tollentia; unde sensus aliqualis & motus partibus restitutus, & æger caroticus factus: obstructionem autem penitus tollere non valentia, quâ sensim incrementum sumente, in Apoplecticum transiit.

Causam continentem nobis persuademus esse sanguinem, paulo crassiorem, crudis humoribus, vaporibusque crassis, permixtum: spiritus animales figentem, unde somnolentia; copia vero eosdem, ut & cerebrum ipsum, comprimentem, opprimentem & obstruentem, unde Apoplexia. Adstipulatur huic sententiæ ægroti nostri temperamentum, nobis sanguineo-melancholicum visum, talibus humoribus generandis aptissimum: accedit ætas, ad declinationem vergens, quà calor nativus jam remissior, crassiora non probè secernit, nec attenuat; & ob paucitatem salis volatilis, restantis in visceribus, præprimis liene, humores non reddit volatiles: sed eadem caloris imbecillitas, omnia crassa relinquens, crudorum humorum, vaporumque sanguini permixtorum, causa

 est:

est: unde tales humores, in venas regurgitantes, sanguini permisti, & ad cerebrum delati, non possunt non horum symptomatum esse genitores. Aër in patriâ aliâs satis temperatus, ob anomaliam eo anno singularem, accusandus mihi venit; cùm jam à medio Augusto, humidior frigidiorque exstiterit, corpusque humoribus repleverit, tonum viscerum laxârit: appetente autumno; cùm Sol jam longiùs aliquomodo recedat, aëre tunc frigidiore & crassiore existente, pori corporis nostri occludantur, factum ut excrementorum pars, per insensibilem transpirationem, aut sudorem dissipanda aliàs, retenta fuerit; humorique crasso & crudo, jam in corpore præexistenti, augmentationis materiam præbuerit. Cibi quamvis fortè optimi fuerint assumpti; tamen, cùm melancholici, ob acidum in ventriculo abundans, plura appetere soleant, quàm possint digerere, crassiori sanguini se multiplicandi ansam præbuêre: accessit vita sedentaria, alimenti coctionem, distributionem, & sanguinis promptum ex arterijs per venas circuitum, impediens, excrementaque in corpore retinens; unde humores tardiore motu incrassari, caloremque nativum excrementorum mole obrui, necesse est. Sanguis autem talis, & quantitate & qualitate peccans, nî Chirurgi artificiosâ manu dematur, à naturâ bene operante, tanquam inutilis & corpori molestus, per hæmorrhagias excernitur; uti conspicuum satis in ægro nostro, qui, ob venæsectionem intermissam, semel atque iterum levem passus hæmorrhagiam narium.

Vapores, quos sanguini admixtos superiùs adseruimus, visceribus, inferioris ventris debilioribus, natalitia sua maximâ partem deferentes; aut se massæ sanguineæ adjungunt, &, per arterias adscendẽdo socii, mentis arcẽ adoriuntur; aut, per non adeò nobis manifestas vias, vallum hoc solitarii conscendendo, inexspectatò rationis domum, nunc à tergo nunc à facie, pro re nata impugnant. Materiam hisce vaporibus suggerunt, cibi difficilis concoctionis, & crudi, viscositatibus scatentes, ventriculi fermentum caloremque ei insitum, eludentes; unde viscositates non satis attenuantur, nec vapores inde orti dissipantur; (non secus ac in lignis viridibus accensis, flammâ adhuc minore existente, in principio ingens assurgit fumus, succedente majori flammâ, dissipandus:) hincque progenitoris morborum vices subeunt: viam hisce furiis monstrant, & januam quasi aperiunt, omnes actiones, præsertim

m enta-

hentales,mox à cibo ſumpto inſtitutæ; quibus præprimis malè ibi conſulit ſtudioſa cohors: calore ſiquidem ad ſuperiora avo-ato, coctio turbatur, tonus viſcerum labefactatur, hinc ventri-ulus, fracto fibrarum circularium robore, ſuperiore orificio hiat; inde vaporibus via non præcluditur,ſed ad ipſum exitum quaſi nvitantur: & ea certè cauſa eſt, cur meditationes, mox à cibo umpto ſuſceptas, gravitas capitis & ſomnolentia comitari ſo-eat. Augere hoſce vapores ſolent, excrementa alvi diutiùs re-enta; hæc ſiquidem craſſos vapores continuo ad cerebrum mit-unt; qui, cùm magna ibi copia colliguntur, tandem ſpiritus in notu ſuo turbant, eosque torpidiores reddunt; imò diuturniore n inteſtinis morâ, excrementa putreſcere, & malignitatem ali-ualem acquirere poſſunt; unde ſulphur quoddam narcoticum xhalatum, in capite ſpiritus animales vi ſuâ ligare ſolet. Hinc ion absque ratione omnes Practici, in quibuslibet capitis affecti-us, alvum volunt eſſe liberam. Alvum autem conſtipatam æ-ro noſtro obtigiſſe, multis ex cauſis probare licet; ipſa tempe-ies ægri naturalis,quæ melancholiæ magnam partem particeps ſſe videtur, fæces ſicciores craſsioresque produci, nobis manife-at: inter alia ſeſe nobis offerunt; ſomnus, humectationem par-ibus impertiens,parcior hic; vigiliæ contrà, corpus exſiccantes, & calorem in viſceribus intendentes, nimiæ: imò ipſa vita ſe-entaria; motum fæcibus, in inteſtinis ad inferiora tendentibus, ardiorem; ſicque, diuturniore ibidem morâ,ſiccitatem majorem s concilians.

Vinum, (quod, in omnibus capitis affectibus, pernitioſiſsi-num Medici perhibent,) ex cauſarum, vapores augentium, nu-nero excludere velle, nefas: quis enim, evaporationes inde fieri, lubitat; certè helluones, quique potationes in longam noctem rotrahunt, id ſatis ſuperque teſtatum eunt; cùm vino inebriati edem vix figere poſſunt, vapore ſpiritus turbante,eosque in in-luxu ad motus organa ex parte impediente; imo poſtridie à ompotatione de capitis dolore conqueruntur,illud tentatũ fuiſ-e, certo indicio: non minimam in ægro noſtro vinum vaporibus præbuiſſe materiam, duplici de cauſa mihi perſuadeo: & quòd nonnunquam paulò largius fuerit aſſumptum ab ægro, & quod offenderit corpus, valde diſpoſitum, nimirum vitæ ſedentariæ obnoxium; calore, ob errorem in victu, nativo debili. Forte &

eodem tempore, quòd vindemiarum erat, musto delectatus fuit malumque malo accumulavit. Quod si enim vinum fermentatum tantam vapores excitandi vim, & efficaciam obtinet; quanto majores turbas excitare poterit mustum; in quo tartareæ particulæ, à sulphureis per fermentationem separandæ, sibi invicem permistæ, adhuc quiescunt: accedente vero jam ipsâ fermentatione, hæ, vinculis suis solutæ, illas in fundum præcipitant; in cujus mixti dissolutione, tantus particularum in se agentium est impetus, ut dolia ferreis circulis muniri exposcat: minusne incommodi ab illo, in corpus assumpto, sperare licet? neutiquam; si consideremus, fermentationem illam ei in corpore nostro subeundam esse: tartareæ enim particulæ, ab acido ventriculi fermento, præcipitantur; in quâ actione, ingens vaporum ad caput tendentium copia elevatur; non secus, ac in confectione tartari vitriolati fumum conspicimus: imò magis nocet; dum, ob substantiæ tenuitatem, fluiditatem scil. fermentationem totalem in ventriculo non exspectat; sed, citius primas vias præterlabens, & in vasa sanguifera raptum, tandem per arterias cerebro communicatur; in quo, novâ sui fermentatione institutâ, vapores de novo generat; tumque sulphuris impurioris, narcoticam quandam vim obtinentis, particulæ spiritibus animalibus associantur; quæ eos consopire, sicque facilè cerebrum ad soporosos affectus disponere queunt. Quin & lucubrationes, ad ellychnium cum oleo paratum institutæ, suum symbolum hîc addere videntur: siquidem corpuscula sulphurea minutissima, ex oleo exhalantia, facili negotio, per respirationem attracta, caput ferire possunt; id proprio exemplo edoctus; cùm mihi, propiùs diutiusve hujusmodi candelæ assidenti, fumum capitis gravitatem & somnolentiam parere compertum habeam; quidni, in corpore disposito, citiùs fortiusve vires suas exseret?

Nec mirum videri debet; ægrum nostrum, his morborum seminarijs instructum, tanta incidisse mala. Dicti enim humores vaporesque, in cerebrum elati, calorem ejus debilitarunt, fibrasque laxârunt; hinc, fatiscente sensim ejus robore, dolor capitis, & vertigo subsequuta; graviorum symptomatum prodromi: qui dein in carum, ipsamque apoplexiam, auctâ mortificâ causâ, eruperunt.

Verùm enim verò; cùm, non de causis solùm discurrendo,

sed

ſed medicamenta etiam dextrè adhibendo, ægro taliter conſtituto opem ferre poſsimus; ne quoque hîc theoriæ tantùm, neglecta praxi, operam navaſſe videamur, & methodi & inſtituti noſtri ratio, nobis, brevitatem amplectentibus, perſuadere videtur, ut ultimam tractationis noſtræ partem aggrediamur. Sanè, difficilem ut partis affectæ nobilitas ægro promittit prognoſin; ita ſymptomata, alia graviora ſubinde ex aliis naſcentia, eandem reddunt difficiliorem. Et certam hîc ſalutis aut mortis conſtituere velle prognoſin, è re Medici non eſt; cùm in alterutrius, quodcunque licet eligat, ſpecificatione peccetur: ſiquidem huic, ſalutem profitenti, æger mori; illi, mortem prædicenti, æger recuperatis viribus, & excuſsâ morbi causâ, ſanitati reſtitui poſſit; utriusque cum infamia. Præſtat igitur, in tali ancipiti caſu, differre abſolutam prognoſin, exſpectatis priùs præſidiorum adhibitorum viribus; interim adſtantibus non reticendum, periculosè decumbere ægrum; non tamen deſperandum eſſe, cùm forſan medicamenta, naturæ auxiliatrices manus adferendo, eam victricem conſtituere poſsint: quodſi deinde, medicamentis adhibitis, ægrum nihilominus non alleviatum, ſed inſuper ſymptomata ingraveſcere, conſpicias; tùm ſpes de recuperanda ſanitate in anguſto eſt, & liberè pronuntiandum, ægrum hunc non evaſurum; quoniam natura à morbo adeò victa, ut nullis pharmacis viribus suis, & robori priſtino reſtitui poſſit: quo facto, non intermiſsâ interim remediorum adhibitione, id apud adſtantes procurabitur, ne Medici culpâ æger, quem ſors ſua premit, periiſſe putetur. Sic in ægro noſtro primùm certi quid prædicere non licuit; exſpectandus enim erat pugnæ, quam natura cum morbo inierat, finis: tandem medicamentis, etiam ſecundùm artem adminiſtratis, nihil proficientibus; cùm Carus in veram Apoplexiam degeneraret, pulſu magis magisque debilitato, & ſtertore oborto, funeſtum ægri exitum adſtantibus patefacere licuit; adductis authoritate Hippocratis Aph. 42. Sect. II. ita dicentis: λύειν Ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ ῥηϊδίον. *Apoplexiam levem ſolvere difficile, fortem verò impoſsibile eſt.*

Tandem ijs omnibus, quæ in theoria requiri videbantur, pertractatis; reliquum eſt, ut adjectâ, quæ præcipuum noſtri inſtituti erat, therapiâ, diſſertatiunculam hanc finiamus. Therapia, quæ indicationibus, & medicamentorum doctâ adhibitione ab-

ſolvitur, taliter nobis conſideranda venit. Indicationes Curativæ, morbum & cauſam continentem; Præſervativæ, antecedentes & externas, Vitales, totius corporis vires reſpicientes; in conſiderationem veniunt: ſymptoma verò, facultatis animalis ſopitæ, hîc urgens; ſui præprimis medelam, per remedium excitans, irritando facultatem, expoſcit. Cauſa ergo continens evacuanda, derivantibus & diſcutientibus: præmittenda vero ſunt ea, quæ antecedentem, aut imminuunt aut tollunt, ſanguinem demendo, revellendo, crudos humores in eo præparando & expurgando. Quibus præſtitis, & viſcerum habenda ratio; intemperiem illarum paulo frigidiorem corrigendo, ut impoſterum probum ſanguinem generent; robur ijs, cerebro maximè, conciliando; ne talem materiam amplius aut generet, aut recipiat: & tandem adhibitâ diætâ, amovendo omnia externa, huic malo cumulando occaſionem præbentia, ægrum noſtrum à novo morbifico inſultu præſervare nobis incumbet, niſi mors præveniens omnem conatum eludat. His omnibus ſatisfaciemus triplici Medicorum fonte, Chirurgico ſcil. Pharmaceutico, & Diætetico. Ex primo deſumentes, generoſiſſimum remedium Venæſectionem, tum cucurb. ſcarif. veſicatoria, frictiones, punctiones, agitationes & alia. Pharmacia nobis ſubminiſtrat, ſuppoſitoria & clyſteres acres, ad facultatem ſopitam excitandam; purgantia, tum univerſalia, tum particularia; cauſam morbi, tàm continentem, quàm antecedentem, tollentia: ſpirituoſa, facultatem ſopitam fortiter ferientia, internè & externè adhibenda; tandem diſcutientia, materiam in, & cerebro proximam, potiſſimum reſpicientia: nec corroborantia partes, quæ remediorum agmen claudunt, omittenda. Diæta cibos proponit laudabilioris ſucci, facilis concoctionis; & res non-naturales cauſas coadjuvantes eſſe vult, ut intemperiem paulo frigidiorem corrigere & emendare valeant. Recenſitis jam indicationibus, & quæ his ſatisfaciunt, præſidijs; ad illorum adminiſtrationem me accingo. Facultas animalis ſopita, quæ quaſi ipſa jam mortis ſpecies eſt, quantocyus ſibi ſuccurrendum poſtulat: hîc Medicus & gloriam, & infamiam, ſibi comparare poteſt; prout aut conſilij promptitudinem, aut animi conſternationem, hancque conſequentem auxilij ſuſpenſionem, adſtantibus declarârit. Nec hîc, morbo per ſingula ferè momenta incrementa maxima ſumente diu deliberandum: nam,

Serò

- - - Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras:

ed protinus omnis cura eò dirigatur, ut æger à paroxysmo liberetur. Accersitus ergò ad hunc ægrum, in eo primo occupatus essem, ut æger à somno excitetur; illud procurando inclamationibus in aures, frictionibus, erectione aliquâ corporis, & commotione, moderatâ tamen; ne vehementiori major affluxus concitetur: adhantibus circa ægrum excitandum occupatis, ego interea præscriberem clysterem, mox applicandum ex Decto. emoll. & carminat. .senna, solv. in colatura. el. lenitiv. hier. picr. bened. laxativ. l. lilior. sal. gemmæ. &c. Clysterem exciperet venæsectio, quam ic audaciter administrarem, tanquam utilem; & ratione causæ ntecedentis, & continentis; tam ad evacuationem humoris aundantis, quàm revulsionem sanguinis fluentis, in brachio celeratam. Spirituosa medicamenta, quæ à nonnullis venæsectioni ræmittuntur, in hoc subjecto, sanguineo magis, venæsectioni postponenda duco; ne videlicet cùm venæ adhuc sunt repletæ, magis ncalescat sanguis; majorque fiat affluxus, & humoris ad partem ffectam concitatio: statim ergo post venæsectionem exhiberem llud, ex aq. antepil. B. lilior. convall. syr. fl. pœon. c. spir. ceras. igr. paratum; cum maxima utilitate; quòd ita, demptâ copiâ anguinis, ejus ab hoc pharmaco non metuenda sit incalescentia; c citiùs quoque remedii vis in vasa inanita alliciatur, promptiusue se in nervosum genus diffundat: externè balf. apoplect. Queret. temporibus, naribus, uti & syncipiti, in conjunctura suturæ oronalis cum sagittali, inungendus. Mox vomitorium, si respirao paulo liberior adhuc est, viresque paulo robustiores, ut huic ab nitio accidit, exhiberem cum fructu; cùm non solùm saburram, itiosorum humorum, in ventriculo contentorum; sed humorem n ipsos pulmones illapsum, expellat. Formula talis esse potest:

℞. *Tartari emet. Myns. gr. vj.*
syr. Violar. ℥ ß.
aq. pœon. ℥ *j.*
M. d. Sr. Brechtränckleín.

Revulsione humoris affluentis, & ejusdem imminutione pręgressâ; tandem ad derivationem, humorem parti inhærentem jam respicientem, deveniendum: ad hunc obtinendum scopum, incisio venæ frontis, aut jugularium, ranularum etiam, conducere; cu-

ret; cucurbitula vertici apposita magni usus; nec vesicatoria hî omittenda; serosam, humori melancholico semper conjunctam substantiam detrahentia, citoque operationem suam perficienti. Quodsi paroxysmus, uti hic factum, protraheretur; postero die propinarem sequens purgans.

℞. *Extr. catholic.* ℈ *j.*
pill. fœtid. ℈ ß.
Solve in aq. apopl. ℥ *iij. & sic exhibe.*

Sedato tandem, aut sublato paroxysmo, & viribus refectis præservationi studendum, ne æger in novum paroxysmum incidat, quod fiet omnimoda remotione causæ antecedentis: optimum hoc in casu hæmorrhoides apertæ, præsertim consuetæ commodissima siquidem naturæ via est, per quam plerumque lieri in melancholicis, ab humoribus crassis, tartareis, & adustis, imò ipsâ copiâ sanguinis, se exonerare, & evacuare solet; quin tantæ, in hoc affectu, utilitatis perhibentur; ut quamdiu fluunt, ab Apoplexia immunitatem polliceantur, Clarissimi Sennerti testimonio: si vero id, obtineri non possit; tunc venæsectione partim detrahendus, crassus & vaporosus sanguis; partim corrigendus & ad eductionem præparandus, medicamentis hisce humoribus propriis. v. gr.

℞. *Aq. fumar.*
beton. ana ℥ *iij.*
syr. d. stæchad. ℥ *ij.*

M. F. Julepus, pro duabus dosibus, manè & vesperi sumendis: Julepus hic aliquoties reiterari poterit, cùm humor in corpore existens tenax, non uni aut alteri pharmaco, nisi sæpius repetito, obsecundet: certiores jam de humoris vacuandi, sufficienti præparatione, sequens purgans commode propinabimus:

℞. *Fol. senæ.* ʒ *iij.*
agar. rec. troch. ʒ *j.*
crem. tartari.
sem. fœnic. ana ʒ ß.
aq. meliß.
scolopendr. ana ℥ *iij.*

Infund. per noct. in loco calid. manè factâ levi ebullitione colaturæ. add.

syr. d. beton, ℥ ß. M. F. Potio purgans, cum regimine diætæ

liætæ ſumenda. Remedia hæc præparantia,& evacuantia, ob lictam humoris contumaciam, ſubinde repetenda erunt: aut mpoſterum eorum loco ſumendum vinum medicatum. v.g.

℞. *rad. chinæ ℥ ß.*
polypod. querc.
cort. tamariſc. ana ʒ ij.
herb. ceterach.
beton.
cuſcut. ana m. ß.
ſummit. cent. min. p. ij.
fol. ſennæ. el. ℥ ij.
agar. trochiſc.
crem. tartar. ana. ʒ j. ß.
ſem. fœnicul.
cinamom. ana. ℈ iiij.

Conciſ. infund. in vini albi vet. ℔. iiij. de hoc ſumat æger alternis diebus cyath. j. continuando, donec totum exhauſtum fuerit. Nec diuretica hîc obeſſe poterunt, materiam tartaream cum ero ſimul educentia; præſertim ſi natura eò viam monſtret; non nutile ſeq.

℞. *Aq. pariet.*
ononid.
fœnicul.
Syr. capill. ♀. ana. ℥ j.
Sal. junip.
ſtip. fabar. ana. ℈ ß.
M. d. Reiteretur quoties opus.

Tandem primâ & ſecundâ regione, à morbificâ ſarcinâ, liberatâ; tertiæ regionis quoque habenda ratio; adhibitis jis, quę materiam extra vaſorum orificia hærentem, aut per ſudores eliciunt, aut per inſenſibilem tranſpirationem diſsipant. diaphoreticum commune eſſe poteſt.

℞. *C. C. philos.*
bezoart. miner.
magiſt. ocul. ♋. ana. ℈ ß.
M. F. Pulv. D. c. aq. cardbened. & junip. ana. ℥ j. ß.

Hactenus de Purgationibus univerſalibus; ſequuntur particulares, materiæ in cerebro reliquias expurgantes; In harum

 cenſum

censum veniunt Errhina, sternutatoria, apophlegmatismi, &c. quorum apparatum, in Practicorum voluminibus, passim reperire licet copiosissimùm; unicum apposuisse sufficiat.

℞. *Pulv. rad. pyrethr.*
sem. sinap.
staphisagr. ana. ʒ ß.
Oxymell. squill. q. s.

F. consistentia Ecclegm. illinatur palato ac faucibus. Non prætereunda ea, quæ capiti, abrasis prius pilis, & spinæ inuncta & applicata, materiam per insensibiles meatus evacuant; qualia sunt ol. rut. castor. rorism. junip. laurin. &c. parantur in hunc usum varia Balsama apoplect. apud Practicos quærenda, quorum formulas apponere pagellarum angustiæ non permittunt. Corpore sic, sufficienter à recrementis morbificis, purgato; in pharmacis roborantia, tum viscera, tum cerebrum maximè, agmen claudent. Inter alia non inutiles censemus sequentes rotulas.

℞. *Spec. dianthos.* ʒ *j.* ß.
diarrh. abb. ʒ *j.*
corall. rubr. ppt. ℈ *ij.*
sacch. opt. in aq. pæon. & junip. ana. solut. ℥ *iij.*

F. s. a. Rotulæ; de his unam aut alteram sumat mane & ante cubitum. Externè valdè commendant ol. nuc. mosch. expr. naribus & palato illitum.

Diæta, quæ magnam curæ absolvit partem, restare videtur quam breviter exhibemus. Aër eligatur purus, fugiatur nubilosus. Victus sit tenuis, incidens, & attenuans: cibi condiantur carminativis. Potus sit vinum tenue oligophorum; aut decoctum cich. radic. gramin. c. sale prunell. præsertim si sitis & calor viscerum hæc efflagitaret. Ad evaporationes impediendas, prandium & cœna finiatur assumptione cond. cydon. aut cons. rosar. antiq. Somnus & vigiliæ medio se habeant modo. Excreta respondeant, si morantur, sollicitentur clyst. suppos. aut alijs lenientibus. Animi pathemata graviora evitentur; curas tristitiamque ne foveat, sed læto sit animo: negotia severiora & continua ad tempus seponantur, usque dum à morbificis seminarijs se totum liberatum sentiat æger. Sanitate sic introductâ, morbi finem conspicienti, cùm finienda cura;
hic quoquè finio.

COROL

COROLLARIA.

I.

CHyli in ſanguinem mutatio cordi, ejuſdem omnimoda perfectio non cordi ſolùm, ſed & reliquis viſceribus, ut Epati, Lieni, imo ipſi ſanguini arterioſo, attribuenda.

I. Non recipienda illorum ſententia, qui chyli partem immediatè ad Lienem deferri autumant; nec illorum, qui acidum quoddam excrementum in ventriculum à Liene eructari contendunt; ductus enim huic uſui deſtinatus utrobiq; deſideratur.

II. Acidum in ventriculo fermentum eſt à Liene.

V. Lympha, ut chylus, proprium nacta eſt receptaculum, chyli receptaculis proximum.

. Non omnis Lympha verſus ductum thoracicum movetur.

I. Vaſa Ejaculatoria manifeſtam obtinent cavitatem.

II. In vena emulgente, non unam tantùm, ſed cuilibet ramo in renem inſerto peculiarem reperi valvulam.

III. Succus pancreaticus eſt melancholia excrementitia veterum.

X. Humor in chorio urina eſt, in amnio non excrementum, ſed nutrimentum fœtus exiſtit.

. In fœtûs ventriculo reperitur colliquamenti pars, unde non ineptè concluditur, ore illud hauſiſſe; monſtretur alia via.

I. Sanguis menſtruus in virginibus ſanis ſolâ quantitate peccat.

II. Lac in mammis virginum apparens, papillarum rubicundus color, certum læſæ virginitatis ſignum non eſt.

III. Res abſurdæ à virginibus deſideratæ, ijs non uti gravidis concedendæ.

IV. Amor inſanus venereus morbis corporis meritò ac-

censendus, cùm partium principum affectarum & causa, & effectus existat.

XV. Ex sola urina non possumus scire an mulier sit gravida.

XVI. Non caruncula in oculo lacrymas fundit; sed glandulæ duæ pone palpebras oculorum sitæ, per oscula exigua, quorum octo observantur.

XVII. Nervos succum nutritium partibus advehere mihi nondum persuadeo.

XVIII. In externorum objectorum receptione, impressio non solùm fit in cerebri substantiam, sed in ipsos etiam spiritus; unde tanta imaginationis vis in gravidis.

XIX. Venæsectio etiam in forti Apoplexia, si conjuncta est plethora, tentanda: Præstat enim in tali casu remedium ambiguum, quam nullum.

XX. Dantur lithontriptica tartaream & salinam calculi materiam dissolventia. Expertus loquor.

XXI. Characteres, quibus nonnulli morbos curare satagunt, rejicimus; non enim virtute naturali, sed diabolicâ id fieri putandum.

XXII. Philtra sola suâ virtute amorem ad certum individuum determinare non valent.

XXIII. Non omnis arthritis materiam ab externis capitis partibus agnoscit.

XXIV. Paralysis sinistri lateris periculosior & curatu difficilior est, quàm dextri lateris paralysis.

XXV. Nulla firma conclusio: Aquâ repleti sunt ventriculi cerebri E. Apoplexiâ obijt: contrarium monstravit nuperrima Anatomia publica Vetulæ, quæ non apoplectica mortua, & tamen ventriculi aquâ replecti erant.

F I N I S.